



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Capvt II. Imitatio Christi in horto Getsemani Patrem orantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

CAPVT II.

Imitatio Christi in horto Gethsemani Patrem orantis.

Cum tanta nobis sit orationis necessitas; & tamen (quod ait Apostolus) *quid oremus, sicut oportet, nesciamus*: præter interius Spiritus sancti magisterium adjuvantis infirmitatem nostram, & pro nobis in nobis quodammodo postulantis, voluit Christus Magister noster in se ipso præbere perfectam quandam orandi formam; cujus imitatione si nos orationem nostram conformaverimus, omnes bonæ orationis partes impleturi simus.

Rom. 8.

Præsens autem imitatio in quinque præcipuè rebus consistet; attentione, reverentiâ, fervore, perseverantiâ, resignatione: de quibus sigillatim atque ordine dicendum est.

§. I.

Quantam attentionem ad orandum Christus attulerit?

Primo igitur loco considera: Benignissimum Salvatorem, cum instante jam passione suâ, præ tædio, tristitia, angore animi pœnè deficeret, & ad mortem usquè conflictaretur; ad familiare sibi orationis solatium confugere voluisse: eâque propter, discipulis reliquis longiùs jussis subsistere, tres duntaxat illos suorum arcanorum conscios, Petrum, Jacobum & Joannem secum adhibuisse, à quibus denique etiam avulsus sit, *quantùm jactus est lapidis*, ne quâ suam ad Patrem preceationem interpellarent, utque ipse liberiùs, quæ ferebat animus, solus ad solum loqueretur.

Luc. 22.

Elegit insuper solitudinem, non tantùm loci, sed etiâ temporis. Ipsæ quippe tenebræ & nocturna silentia, attentionem orationi conciliant. Unde Dominum non in solitudine modò, sed etiam noctibus orare solitum sacri Evangelii

H h h h

geli

Luc. 6. gelistæ significant: quò facit illud S. Lucæ: *Exijt in montem orare; & erat pernoctans in oratione DEI.*

Igitur, ex Salvatoris imitatione, hæc tibi imprimi observanda sunt.

Primò: In tuis anxietatibus, afflictionibus, mœroribus, ad DEUM per orationem recurrendum esse: non verò ut plerique hominum faciunt, qui aut acceptâ injuriâ, aut aliâ quâvis mœroris ac tristitiæ occasione oblata, solati gratiâ, non ad DEUM suum refugiunt, sed cum hominibus dolorem suum communicant, qui illum potius exulcerent & exacerbent, quàm medicentur ac leniant: aut sanè in quavis defolatione vel animi ariditate constituti, ad vana solatia & sensuum oblectamenta convertuntur; detrahentes DEUM (ut ait Propheta) fontem aquæ vivæ, & fodientes sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. Etenim certum est illud S. Augustini in psalmum 85. *Quocumque cor se converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit: unde dulcescat non habet, nisi levet se ad DEUM.*

Jerem. 2. *Secundò:* Ut oratio tua, prout oportet, attenda sit, necesse esse te separari à charis seu rebus, seu personis: juxta illud monitum Salvatoris: *Tu autem cum oraveris, intrare in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Itaque divina meditari volenti, locus opportunus atque ab aliorum interpellatione secretus, deligendus & adhibendus est. Quomodo videmus summos contemplatores desertis locis & invijs solitudinibus usos & delectatos fuisse. *Mater eius*

Orat. de Transfigur: orationis, Damasceno teste, est solitudo: quasi ipsæ rupes, montes aut silvæ, artem DEUM orandi doceant, aut animus noster puriore æthere cælôq; liberiore fruens, neque jam rerum alienarum occupatus imaginibus, facilius ad DEUM & cœlestia sublevetur.

Sed quoniam non multum juvat solitudo corporis, nisi adsit & solitudo cordis; idcirco etiam ab ipsis curis & soli-

sollicitudinibus quotidianis abstrahendus & evacuandus est animus: quæ tametsi fortè necessaria, tamen, dum ad precandam accedis, tantisper deponendæ & seponendæ sunt, atque Christi verbis, ipsis præcipiendum: *Sedete hic, donec illuc vadam & orem.* Aut certè, auctore S. Bernardo, æmulandum in re præsentis factum Abrahæ Patriarchæ, qui filij sui unigeniti sacrificium facturus in monte Moria, servis suis cum asino ad montis pedem remanere & expectare iussus, ipse solus cum innocente victima ad montis verticem adoraturus ascendit. Huc enim respiciens, & allegoricâ ratione eam rem exponens Doctor mellissus, in initio Libelli de Amore ita se ipsum adhortatur: *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas. Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea; venite, ascendamus in montem vallocum, ubi Dominus videt, vel videtur.* Cura sollicitudines, anxietates, labores, pæne servitutes, expectate me hic cum asino, corpore isto, donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Hæc tamen alij tribuunt Guilielmo Abbati, ipsius Bernardi æquali & familiari: quibus, ut ad eam rem aptissimis, & nos uti possumus, attentionis conciliandæ gratiâ, cum nos ad orandum componimus.

Tertiò: ut hanc ipsam attentionem à temet ipso impetres, necesse esse, vim aliquam animo tuo facias, vagos ejus motus, & insitam ad varia & aliena cogitanda propensionem atque pruritus, cohibendo. Exemplo Salvatoris, qui (ut loquitur Scriptura) à charis suis discipulis *avulsus est:* quâ loquendi formâ omnino significat, eum non sine aliquâ violentia & animi renisu, ab ijs quos præ cæteris diligeret, & de quorum præsentia solatium aliquod sperare posset, eo in articulo est abstractum.

Neque in ipsa oratione duntaxat animus hoc pacto in

H h h 2

offi.

officio continendus est; sed etiam ante orationem, illius motus componendi, & ipsum cor nostrum, quoad licet, omni affectu inordinato liberandum. Alioqui enim tenet non poterit, etiam inter orandum, ne pro sua instabilitate, ad ea quæ diligit aufugiat, & nos sine sensu ac gustu rerum, quas contemplandas susceperamus, relinquat. Id quod

Psal. 39. bique suo experimento compererat Propheta Regius, qui subinde de cordis sui fuga quæritur; adeoq; post liberatam, & ingentia DEI promissa, cum totum cor suum in gratiam actionem coram DEO effunderet, insolita quadam loquentis figurâ usus est, dicens: *Propterea invenit servus tuus cor suum, ut ornaret te oratione hac, ubi ingeniosè S. Augustinus: Invenire (inquit) se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me.*

In hac igitur attentione inter orandum procuranda, uti magnum momentum, ita multa opera ponenda est: ne animo vanis cogitationibus abstracto atque distracto, pereat omnis contemplationis suavitas; quemadmodum scriptum est: *Musca morientes perdunt suavitatem unguenti.* Quorum circa te volitantium & obstrepentium importunitate vexatus, cave eis cedas aut acquiescas, sed usque constans in precandi studio persistas, ut quamvis per eas sapor obtundatur divinæ dulcedinis, non tamen omnino pereat fructus orationis.

§. 2.

Quanta cum animi corporisq; reverentia precatus sit?

Secundo loco perpende; quantam ad orandum reverentiam, tum interiorem, tum exteriorem Salvator noster attulerit. De exteriore (quæ etiam interioris effectus & indicium est) testes habes Evangelistas; quorum alter refert, eum in horto Gethsemani positus genibus orasse, alter proci-

in faciem suam: ut appareat, illum orationis initio abjecisse se in genua; tum, aucta præsentis & offensi Numinis reverentiâ, prono corpore humi abjectum, super faciem suam procubuisse. Sive illum dicas, susceptæ naturæ humilitatem agnoscentem, ut de Moyse legimus, faciem suam abscondisse, non ausum intueri contra DEUM, aut etiam in terram procidisse, veluti (quod de se ait B. Job) pondus immensum divinæ Majestatis non ferentem: sive illum potius degravabat peccatorum totius mundi moles, ipsius tanquam humeris imposita: eorumq; sanie ac fœditate quasi dehonestatum in Patris conspectu se contuens, præ verecundia nolebat vel oculos ad cœlum levare, quasi eo nomine ac specie, dignus non esset videre altitudinem cœli, aut Numinis irati non posset vultum sustinere.

Matth: 26.

Exod: 3.

cap: 31.

Quæ nimirum tria, Patris inquam æterni, coram quo comparebat, majestatem ac potentiam; humanæ naturæ, in qua apparebat, & secundum quam tractabat cum Patre, vilitatem atque infirmitatem; divinæ offensæ, quam expiandam in se susceperat, granditatem atque indignitatem; quò ille intimiùs profundiusq; penetrabat, hoc se coram illo deprimebat magis, & majori pudore, confusione, reverentiâ paternis se oculis repræsentabat. Quam proinde summam divini Numinis in DEI Filio Patrem deprecante reverentiam commendat Apostolus, dum ait: *Qui in diebus carnis sue, preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Quæ verba nonnulli etiam de oratione in horto intelligunt.

Hebr: 5.

Hinc autem, itidem in usus nostros, licebit in hunc ferè modum ratiocinari.

Primò enim, si DEI Filius, Dominus Majestatis & Rex gloriæ, sub quo curvantur qui portant orbem, id cum tanta facit sui circumspèctione, submissione, verecundia, ut toto in.

Job 9.

in.

in terram curvetur corpore, & in faciem suam abjectus ac pronus jaceat, præ timore ac reverentia illius supremæ & infinitæ majestatis: quid nos inter precandum facere convenit, qui ad ipsum, etiam ut hominem comparati, nihil nisi vermiculi hamæ repentes, aut vilissimi culices sumus?

Et verò quid hoc tandem rei est? aut quæ ista facti vel cogitatus insolentia? Pulvis & cinis affectat congressum Dæi sui; imò (ut sic dicam) neque rotum pulveris granum.

Sap. 11. Nam si, ut loquitur divina Scriptura: *tantum momentum statera, sic est ante DEUM orbis terrarum: si omnes gentes*

Isai. 40. *quasi stilla situla, & quasi nihilum sic sunt coram eo, & insula quasi pulvis exiguus: quota ego sum, aut quis alius istius pulveris particula, istius stillæ portio, istius quasi nihili factio?*

Et tamen plerosque videas in ejus conspectu, cuius gloriæ throno trepidi assistunt cæli Principes, & ipsi Seraphini vultum ac pedes alis obtegunt, quasi non sine pudore aliquo coram infinita illa majestate apparentes; videas inquam plerosque mortales, in composito corpore, erectæ cervicæ, inverecundo vultu, vagis oculis, alienis cogitationibus, aut fabulis etiam occupatos, ante DEUM assistere, & ipsi quoque divinissimo Sacrificio, quid istic sanè rei agatur, nihil pensi habentes, interesse. At ubi mens nostra, ubi sensus est? aut (ut id potius aptiusque cum S. Hieronymo dicam) *ubi fides?* Siquidem is Beatus Doctor, Christianorum ea in parte socordiam inculpans, primam ejus mali originem

Dial. contr. Lucif. in Fidei languorem torporémque refert, his verbis: *Ad orationem assisto. Non omnem, si non crederem. Sed si verè crederem, illud cor quo DEUS videtur, mundarem; manibus tenderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inborrescerem, ore pallerem, jacerem ad Domini pedes, eosque fletu perfunderem, harerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem. Nunc verò (subdit) creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de sanore dis-*
pato,

puto, aut abductus turpi cogitatione, etiam qua dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? sicine putamus orasse Jonam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce? Addere possumus in rem nostram: Sic Christum in horto?

Secundò: Si idem ipse DEI Filius, quòd umbram præferret peccatoris, seq; alienis agnosceret specie tenus cooptum sceleribus, non audet vel oculos ad cælum levare, neque stare in Patris conspectu, sed præ paterni vultus reverentia, sese ejus oculis quodammodo subducere nititur, & tantùm non intra terræ sinum absconditur: in quam abyssi profunditatem nos projicere debemus, cum nobis coram Deo comparandù est; qui non nomine tenus aut specie, sed re ipsà veris & magnis & plurimis infecti criminibus, ac propudiosè contaminati sumus? Nam si (quod jam proximè dicebamus) ut puri videamur & innocentes, tamen ipsà naturæ nostræ conditione, ob infinitum ejus à prima illa & infinita substantia recessum, quasi nihilum sic sumus coram DEO: cum jam per quamlibet admissam culpam, uti commentantur SS. Doctores, ad nihilum rursus redacti, profundiusq; in nihili abyssum devoluti, & tanquam minùs nihilo facti sumus; quid tandem nostri superesse, vel quo apud DEUM nos loco fore arbitremur; aut quâ specie formæ deniq;, in divinis oculis apparituros existimemus? Sanè id unum restare videtur, ut ex Sancti Ignatij meditatione, inspectâ *Med. de peccat.* corruptione mei totius, summo pudore atque horrore confusus, in DEI conspectu *me tanquam* putens *ulcus, sive horribile apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tanta vitiorum lues defluerit.*

Tertiò: Proinde ad reverentiam divini Numinis in ejus præsentia conciliandam retinendamq;, ante orationem præparandus est animus, & quis, ad quem, quamobrem accedas, diligentius cogitandum. Quam in rem utile ejus-

Addit. ad 1. hebdom. jusdem S. Ignatij monitum est: ut à loco futura meditationis uno vel gemino adhuc passu distans, animo sursum elevato, considerem Dominum meum JESUM, ut presentem & spectantem quidnam acturus sim; cui reverentiam cum humili gestu exhibere debeam. Quasi videlicet illis me incitem Propheta

Psalm. 94. verbis: *Venite adoremus & procidamus ante DEUM, ploremus coram Domino qui fecit nos: quia ipse est Dominus DEUS*

cap. 10. *oster.* Scitè quippe dictum est à B. F. Ægidio Assisiatè, quod inter aureas ejus sententias circumfertur: *Qui se sui onare, non cognoscit DEUM.* Qui enim DEI infinitam Majestatem, bonitatem, justitiam, pulchritudinem, suavitatem, & tot alias timoris, reverentiæ, fiduciæ, amoris, causas aliquatenus perspectas habeat, suamq; cum illis abjectionem, infirmitatem, malitiam comparet, earumque rerum notionibus imbutam mentem ad meditandum adterrat; huic profectò inter precandum, neque reverentiæ attentivæ animi deerit, neque Sanctorum affectuum argumenta deficient; sed omni animi abductione & aberratione seclusâ, orationis suæ desideratum fructum inveniet.

§. 3.

Quantâ animi devotione atque fervore oraverit?

Tertio loco attende: quantâ animi devotione, contentione ac fervore oraverit. Quod ex his possumus non difficulter intelligere. Primò; ex illa tum interiori tum exteriori reverentia, quâ se ad orandum composuit, & per omne tempus, quod orando insumpsit, retinuit. Secundò: ex illis crebrò iteratis ad Patrem aspirationibus, animi concitati atque inflammati indicibus: *Abba Pater; Pater mi; si possibile est, &c.* Tertio: ex eo, quòd ereditu pronum sit, eum multo cum fletu & calidis lacrymis orâsse: quando & præ animi teneritudine, indolisq; benignitate, videretur ad fletum naturaliter fuisse proclivior, & ea jam oculis ob-

versaretur rerum species, quæ etiam è corde durissimo, & quantumvis inviris oculis, copiosas lacrymas posset extundere. Et profectò cum eo in articulo præ affectuum vehementia, sudore sanguineo maduerit, & membris omnibus sui corporis quodammodo lacrymatus sit, existimare non possumus, solos ei oculos siccos & proprii humoris expertes fuisse, ac non potius lacrymis etiam sanguineis manasse. Quod licet sacri Evangelistæ tacuerint, nobis tamen intelligendum reliquere: quemadmodum nec ab ijs scriptum est, Christum in cruce orasse cum lacrymis; quod tamen constat ex Pauli verbis §. 2. relatis; nisi quis hæc ipsa cum S. Thoma malit de præsentis oratione in horto intelligere. Quartò, ex illa agonia & compressione cordis, quæ ex ea lucta & variarum atque inter se pugnantium affectionum conflictu subijt: quando (ut post Thaulerum meditatur Ludovicus Blosius) dulcissimum cor Salvatoris in quodam veluti timoris & amoris prælo compressum & quasi oppressum est; timore nimirum infernè, amore autem supernè illud comprimente. unde ille pretiosus liquor cruenti sudoris expressus sit. Postremò, ex eo quòd (ut scribit S. Lucas) factus in agonia prolixius orabat; adeoq; ardentius & contentius; quò videlicet se adversus insurgentes motus potentiùs firmaret, ac sese paternæ voluntati plenà denique atque integrâ animi propensione subijceret.

Explic. pass. c. 2.

Ex quibus sanè proclive erit pauca hæc præcepta colligere. *Primum*: Quæ mentis devotione, quo ardore animi par sit, nos in Deum ferri, quando apud eum salutis nostræ negotiû orando pertractamus, cum Redemptor noster non tam suam quàm nostram apud Deum Patrem causam agens, & exemplo nobis orandi formam præbens, tantâ animi contentione & affectione cordis oraverit. Quæ argumentandi ratione alibi utitur S. Ambrosius, in sextum Lucæ caput sic scribens: *Species tibi, Christiane, datur, forma præ-*

L. 5. in Luc.

scribitur, quam debeas emulari. Quid enim re pro salute tua facere oportet; quando pro te Christus in oratione pernoctat?

Alterum: Instante atque urgente tribulatione, hoc acrius nobis ac ferventiùs orationi esse insistendum. Neque tantùm Salvatoris exemplo, qui factus in agonia prolixius orabat; sed etiam ex Regij Prophetae imitatione; cujus in angustijs periculisq; deprehenſi, plures sunt psalmi, ardentium affectuum varietate; & intentis in DEUM suspirijs refertissimi.

Postremum: quod itidem monent asceticæ disciplinæ Magistri: cavendum esse diligenter, ne mentis tenebris, ariditate cordis, desolatione spiritus occupatus, vel studium orandi remittat, vel à bene cœptis resiliat, vel etiam, quæ priùs fuerant rectè constituta, convellat: cùm potius eo tempore expediat, (ut rursùm verbis utar S. Ignatij) *procedi & augeri ea, quæ contra desolationis impulsum tendunt: qualia sunt (inquit) insistere orationi & meditationi, ac patientia aliquid assumere.* Sic ille, in regulis, quas de motibus animæ, quos diversi excitant spiritus discernendis, præclare scripsit.

Reg. 6. ad
mot. anim.
&c.

§. 4.

Quantâ constantiâ in oratione perseveraverit?

Quarto loco vide mitissimi & afflictissimi JESU insignem in orando perseverantiam. Erat illi cœlum æreum, & terra ferrea: clamabat, nec exaudiebatur; & ille Patrum misericordiarum, & DEUS totius consolationis, mutatus ei erat in crudelem. Neq; tamen quicquam remittit de precandi instantia, quin ad eò prolixius orat; ut non improbabile sit, quod quidam hoc loco sentiunt, eam Christi Domini precationem tres circiter horas tenuisse. Jam enim (inquiunt) horæ spatium orando exegerat, cùm ad discipulos primò adijt, eosq; suaviter increpuit, quòd non potuissent

Job. 30.

issent unâ horâ vigilare cum illo. Cùmq; S. Matthæo teste, post hanc & alteram discipulorum visitationem, relictis illis, abierit & oraverit, tertio eundem sermonem dicens; non absurdè credemus eum, huic iterum ac tertio repetitæ orationi, tantumdem temporis singulatim tribuisse: quo pacto universa ejus oratio tres circiter horas tenuerit; in ingenti illo tædio, pavore, angore afflictissimi cordis; cùm interim ipsi, quos (ut in propinquo discrimine) vigilare & orare jusserat, discipuli, mœrore gravati somno cederent, & vel nullam, vel certè exiguam temporis partem orationi dedissent. Verùm quod ad ipsam orandi instantiam ac perseverantiam attinet; constat Christum interdum orando totas noctes traducere solitum; quia, ut superius ex S. Luca diximus: *erat pernoctans in oratione DEI.* Totum etiam tempus, quo inter extremos cruciatus, & summam virium defectionem pependit in cruce, orationi dedisse credibile est: cùm & identidem, sive pro crucifigentibus se, sive pro se ipso interpellaret Patrem; modò se ab eo derelictum, blandè conquerens, modò injunctum sibi opus humanæ redemptionis consummatum attestans, modò spiritum suum in manus ejus commendans; ac per ipsa etiam silentij sui intervalia, tacitâ cogitatione, sese Deo in victimam offerens; ut qui intelligeret, sese in opere omnium divinissimo, & in sacrificio post homines natos solennissimo, atq; æterno Patri acceptissimo, versari.

Sanctus quidem Hieronymus, in psalmum 21. cujus initium est: *DEUS, DEUS meus respice in me, quare me dereliquisti?* Hoc versiculo (inquit) Dominus in cruce pendens usus est: ex quo animadvertimus, totum psalmum à Domino in cruce posito decantari. Quem ille psalmum, passionis suæ adjuncta omnia prophetice describentem, eòq; longiusculum, non utique transcursum recitaverit, sed cum speciali animi reflexione ad membra singula, & eâ quam psalmus

suggerit, multiplicium affectuum varietate. Nec desunt qui priora illa cum istis extremis Christi verbis comparantes, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; suscipitur illum, totos decem psalmos, qui nimirum à psalmo 21. usque ad 30. ex quo extrema illa desumpta sunt, in libro

Guil. Dur. Psalmorum seriatim proponuntur, meditando percurruntur. *l. 6. c. 77.* Quod tamen videtur tum factu, tum creditu difficile; cum ex SS. Marco atque Matthæo habeamus, Christum priora illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? hora nona, aut circa horam nonam*, adeoque sub extrema vite sue momenta, pronunciasse.

Cæterum inspectâ perseveranti Salvatoris nostri, per amara illa tædia, letalesq; animi angores, in appellando Patrem atque deprecando, constantiâ. *Primò*: Inculcamus ea in parte torporem nostrum; ut qui vix horulam tantam valeamus piæ meditationi constanter insistere; & si res ex voto minus succedat, ad orationis horæ finem, quasi hæc æquo sit longior, identidem respectamus.

Non sic Redemptor noster, qui (quod sæpius inculcari est pretium operæ) in agonia positus prolixius orabat: neque verò ullo tædio victus, ad discipulos semel iterumq; visendos conversus est; sed ita suadente charitate, & paternâ de illis sollicitudine; quò nimirum eos, adversus instantem tentationem, secum orare compelleret, & imbecillæ carnis infirmitatem, mentis ac spiritus promptitudine supplere.

Secundò: proinde studeamus & nos, omni torpore excusso, in meditatione precatione semel susceptâ perseverare: ne Dominum nostrum in agonia solitarium destituere videamur; audiamusq; quod audierunt discipuli: *Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* Eamq; ob rem, si quando vel corporis torpor, vel mentis ariditas, orandi nobis tædium ingeret, expediet interdum fortassis horam clepsydram, si in promptu sit, ad pedes Crucifixi deponere, et;

eiq; amanter dicere: Domine JESU, ob amorem tuum, & ob memoriam proluxæ illius orationis, quam tædio, tristitiâ, mortificâ, pavore, & mortifero angore oppressus, fudisti in horto Gethsemani, & per quam instanti tuæ passioni proluxisti: Volo, cum auxilio gratiæ tuæ, totam horulam hanc in oratione tecum vigilare: neq; ab hoc studio avertet me præsens tædium, hæc mentis sterilitas aut desolatio; quin potius juvabit me tibi eâ ratione, aliqua ex parte similem esse, & velut in consortium tædij tui atque angoris venire. Etenim quantula est hujus meæ tristitiæ ac desolationis guttula, ad abyssum agoniæ tuæ, ad letalem sudorem, ad globos sanguinis rivorum instar decurrentes in terram?

Tertiò: Si nobis, aut alijs rebus, aut corporis mentisve infirmitate præpeditis, otium non suppetit, vel non est animus, proluxiori rerum divinarum commentationi vacare: ejus rei defectum crebris ad DEUM suspirationibus, & in cælum intentis devotæ mentis jaculis, omniq; ad eò bonæ operationis instantiâ, compensare satagamus: ut vel sic illud impleamus, ad quod Christus, non solum factò prævit, sed etiam verbo nos informavit, dicens: *Oportet semper orare, & non deficere.* Lucæ 18.

§. 5.

Ut omnem suæ voluntatis propensionem, Patris voluntati amanter ac plenè subjecerit.

Postremo loco *considerem*: quem denique fructum Redemptor, ex sua illa tam attenta, supplice, ardente, perseverante, & omnibus partibus bonæ orationis instructâ prece, collegerit: nimirum plenam atque integram sui (uti appellant) in manus Patris resignationem; & summam mentis ac voluntatis suæ, in re omnium difficillima, in profundo inquam passionis suæ calice de manu Patris suscipiendo, & tot illis seu doloribus seu opprobrijs pro mundi salute

lute exhauriendis & exantlandis, cum divino nutu confessionem. Hinc enim sunt illa: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Veruntamen non mea voluntas, Pater, sed tua fiat.* Itaque, qui prius ad orandum quam accederet, necis imminenti horrore pavidus, tristem se dicebat, usquè ad mortem, & ipso orationis principio naturæ propensionem non nihil concedens; calicem passionis à se amoluit nitebatur; nunc orationis beneficio confirmatus, eaq; repressâ (quam ad utilitatem informationemq; nostram in se tantisper admiserat) pavidæ carnis infirmitate, ecce ut intrepidè occurrit periculis, & in ipsa inimicorum tela ultro se quodammodo induit, atque ad idem audendum discipulos

Matth. 26. los provocat, dicens: *Surgite, eamus; ecce appropinquavit, qui me tradet.* Perinde ac si rursus diceret, quod extremo

Joann. 14. sermone sub egressum è cœnaculo illis denuntiârat: *Vi cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc.* Quonam autem, Jesu dulcissime, nisi ad vincula, ad contumelias, ad colaphos, ad sannas, ad sputa, ad flagella, ad coronam spineam, ad crucem, ad vulnera, ad mortem? ô diei unius iter imensum! Veruntamen vel sic eamus, inquit, ut eo insigni documento mundo demonstrarem, quali tum amore, tum observantiâ prosequar Patrem, utq; illius divinum beneplacitum, quantumvis aspera & à carnis sensu abhorrentia proponantur, rebus omnibus, ipsiq; adeò vitæ mez, anteferam. Quamobrem Henricus Harphius ascetam suum, ad agoniam Christi (cujus item imagine, uti & sepulturæ Dominicæ, specialiter capiebatur S. Carolus Borromæus) accuratam contemplationem provocans: *ibi namque (inquit) natus amor, sine omni refrigerio spiritualis consolationis, in tam horribili colluctatione tam magnificè triumphavit.*

Hinc discemus primò: quanta sit orationis efficacia; quæ utique tempestivè adhibita dolores levat, mœtiores ab-

ret-

tergit, umbras discutit, terroribus vanis atque supervacuis liberat, dejectos animos erigit, languentes corroborat, labantes confirmat, inclinatis adminiculatur, vires suggerit, mentem erudit, affectus convertit atque immutat, & ad ea quæ prius reformidabamus, audentes nos ac promptos facit, denique quibusvis periculis, laboribus, supplicijs, ipsaque morte superiores fortioresq; reddit.

Secundò: quidnam sit, quod potissimum debeamus in oratione spectare, quò omnes conatus actusq; nostros dirigere, & ad quem denique tanquam scopum, universam vitæ spiritualis exercitationem referre: videlicet, ut pro supremi Numinis amore ac reverentia, nosmet ipsos in omnibus abnegantes, voluntatem nostram divino ipsius beneplacito subjungamus, idem velimus, idem nolimus per omnia, nihilq; de nobis, sive pro tempore, sive pro æternitate auxiè solliciti, nos totos in eum, ejusq; adorandam & amabilem providentiam, projiciamus ac consignemus, eiq; tandem amore puro & casto adhærentes (quæ Apostoli phrasis est) unus cum eo spiritus efficiamur.

Quem conformitatis consensionisq; cum Deo gradum qui attigerit, intelligat sese ad summum Christianæ virtutis & religiosæ perfectionis apicem, ad pacem animi supremam & imperturbabilem, quin etiam (quoad mortali fas est) ad beatæ vitæ consummationem pervenisse.

Tertiò: Ad hunc tam sublimem virtutis ac perfectionis gradum, non posse absque pugna, sudore & sanguine deveniri. Quippe nobis ipsis adversus nos ipsos pugnandum est, extinguenda in nobis peccati cupiditas, extirpanda vitia, coercendi contumaces affectus, amor ipse nostri adversus spiritum & DEUM rebellans, & quo DEI AMOR nullum habet hostem inferiorem, expugnandus & proculcandus est, novus homo, veteri exuto & abdicato, induendus; breviter, nihil penitus nostri, hoc est, quod ut nostrum
& no-

& nostri gratiâ, non autem ut Dei & ipsius causâ, amemus, in nobis vivere permittendum: sive (ut nonnulli dixerunt, cum aliqua quidem exaggeratione, sed ad rem oculis subiiciendam appositè, Theologiæ mysticæ Doctores) nulla in nobis restare debet gutta sanguinis, quæ non sit divinitus more excocta.

*Suso serm. 4.
Blos. inst. sp.
c. 7.
Eickardus a-
pud Thaul.
&c.*

Quæ sanè, nimisquam fallitur, qui putaverit, opus (ut ita dicam) unius diei, aut defunctoriæ operæ laborem esse, aut absque agone, luctu, vulnere, evinci & obtineri posse. Veruntamen devota voluntas cum divini gratiâ potest omnia; & pedetentim ac passim progrediendo, ascenditur etiam ad summa. Quare quotidiano orationis studio, & abnegationis sui exercitio, naturæ pravitas parte aliquâ vincenda & emendanda est, quò sensim discat esse subiecta; deq; homine veteri, & inolitâ nobis vittorum rubigine, aliquid assiduè deterendum: habendumq; præ oculis opportunum in præsens, præceptum S. Francisci Xaverij; qui, ut proditur in ejus vita: *Socios identidem adhibebat, ut semet parvis in rebus vincere assuescerent: ita dum magnorum certaminum fore victores.*

L. 4. Vit. c. 9.

Atque isti ferè sunt fructus, quos ex horto Gethsemani, & memorabili in illo Christi oratione colligendos petavimus.

CAPVT III.

Imitatio Christi circumducti per vias Jerusalem.

§. I.

Christi per vicos & plateas raptati consideratio.

Cum, ut principio hujus quintæ partis diximus, omnis Christi actio, nostra sit instructio; & vel sibi videri